



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thomæ A Kempis Canonici Regvlaris Ord. S. Avgvstini De Imitatione Christi Libri Qvatvor

Thomas <von Kempen>

Antverpiæ, 1617

Cap. XVIII. De exemplis sanctorum Patrum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45760](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45760)

scias te vocatum, non ad otia dum
vel fabulandum. Hic ergo probantur
homines, sicut aurum in fornace. Hic
nemo potest stare, nisi ex toto corde,
se voluerit propter Deum humiliare.

CAP. XVIII.

De exemplis sanctorum Patrum.

INT VERE sanctorum Patrum vi- *Heb. 11*
uida exépla, in quibus vera perfe-
ctio, refulsit & religio, & videbis, quã
modicum sit, & pænè nihil, quod nos
agimus: Heu, quid est vita nostra, si il-
lis fuerit comparata? Sancti & amici
Christi, Domino seruiert in fame
& siti, in frigore & nuditate, in labore
& fatigatione, in vigiliis & ieiuniis, in
orationibus & meditationibus san-
ctis, in persecutionibus & oppro-
briis multis.

2 O quàm multas & graues tribula-
tiones, passi sunt Apostoli, Martyres,
Confessores, Virgines, & reliqui om-
nes, qui Christi vestigia voluerunt se-
qui. Nam animas suas in hoc mundo *1o^m 12.*
oderunt, vt in aeternã vitam eas possi-
derent. O quàm strictam & abdicatam *Mat 7.*

vitam, sancti Patres in eremo duxerunt? quàm longas & graues tentationes pertulerunt? quàm frequenter ab inimico vexati sunt? quàm crebras & feruidas orationes Deo obtulerunt? quàm rigidas abstinentias peregerunt? Quàm magnum zelum & feruorem, ad spiritualem profectum habuerunt? Quàm forte bellum, aduersus edomationem vitiorum gesserunt? Quàm puram & rectam intentionem ad Deum tenuerunt? Per diem laborabant, & noctibus orationi diutinæ vacabant: quamquam laborando, ab oratione mentali, minimè cessarent.

3 Omne tempus utiliter expendebant; omnis hora ad vacandum Deo breuis videbatur: & præ magna dulcedine contemplationis, etiam obliuioni tradebatur, necessitas corporalis refectionis. Omnibus diuitiis, dignitatibus, honoribus, amicis & cognatis, renuntiabant: nil de mûdo habere cupiebant, vix necessaria vitæ sumebant: corpori seruire, etiam in necessitate dolebant. Pauperes igitur erant rebus terrenis, sed diuites valdè in gratia & virtutibus. Foris egebant, sed intùs gratiã &

Mat. 19

& consolatione diuina, reficiebantur.

4 Mundo erant alieni, sed Deo proximi ac familiares amici. Sibiipsis videbantur tamquam nihili, & huic mundo despecti: sed erant in oculis Dei pretiosi & dilecti. In vera humilitate stabant, in simplici obedientia vivebant, in charitate & patientia ambulabant: & ideò quotidie in spiritu proficiebant, & magnam apud Deum gratiam obtinebant. Dati sunt in exemplum omnibus religiosis: & plus prouocare nos debent ad benè proficiendum, quàm tepidorum numerus ad relaxandum.

5 O quantus feruor omnium religiosorum, in principio suæ sanctæ institutionis fuit? O quanta deuotio orationis? quanta æmulatio virtutis? quàm magna disciplina viguit? quanta reuerentia & obedientia, sub regula magistri, in omnibus effloruit? Testantur adhuc vestigia derelicta, quòd verè viri sancti & perfecti fuerunt: qui tam strenuè militantes, mundum suppedi-
tauerunt. Iam magnus putatur, si quis transgressor non fuerit: si quis, quod accepit, cum patiētia tolerare potuerit.

6 Och teporis & negligentia status nostri, quòd tam citò declinamus à pristino feruore; & iam tædet viuere, præ lassitudine & tepore! Vtinam in te penitùs non dormiret profectus virtutum, qui multa sapiùs exempla vidisti deuotorum.

CAP. XIX.

De exercitiis boni religiosi.

VITA boni religiosi, omnibus virtutibus pollere debet: vt sit talis interiùs, qualis videtur hominibus exteriùs. Et meritò, multò plus debet esse intus, quàm quod cernitur foris: quia inspector noster est Deus, quem summoperè reuereri debemus, vbicumque fuerimus, & tamquam angeli in cõspectu eius mundi incedere. Omni die renouare debemus propositum nostrum, & ad feruorem nos excitare: quasi hodie primùm, ad conuersionem venissemus, atque dicere, Adiuua me Domine Deus, in bono proposito, & sancto seruitio tuo: & da mihi nunc hodie perfectè incipere, quia nihil est, quod hætenus feci.

Mat. 5.

Psal. 33

Heb 4.

Psal. 15.

2 Secur-